

*Streborrow.*

ferius in ipso fere angulo, qua Southsexiam & Cantium spectat, *Streborrow* castrū cernitur, olim sedes Dominorum de *Cobham*, qui hinc à *Streborrow* dicti, & à Ioanne de *Cobham*, Domino de *Cobham*, & *Couling*, & Hugonis Nevilli filia procreati diu gloria & dignitate floruerunt. Reginaldus enim regnante Edwardo III in ordinem Georgianum adscitus orā maritimæ erat præfectus, à Tamisis ostio usque partes Occidentales. Ultimus vero Thomas Annam Ducis Buckinghamiæ filiam uxorem habuit, è qua suscepit Annam filiam unicam enuptam Edwardo *Burgh*, qui etiam à Perciis & Comitibus Atholiæ stemma repetiit, ejusque filius Thomas Baro *Burgh* ab Henrico Octavo creatus, filium reliquit Guilielmum, qui genuit Thomam, bonarum literarum fautorem summum, Præfectumque Brielæ, quem Garterii Ordinis honore ornavit, Hiberniæque Proregem, ubi mortem oppetiit, constituit Regina Elizabetha. De Æleonora Cobham ex hac familia, Humfredi Ducis Glocestriæ conjuge, cujus existimatio minus integra, ad Anglicam, si libet, accedas historiam.

Barones Borrough, five Burgh.

Comites Surriæ, qui etiam Comites *Warrenna* dicti. Insignia Comitum *Warrenna*.

\* Checky, or & Azure.

Iam Comites sunt enumerandi. Guilielmum de *Warrenna*, Guilielmus Rufus Rex Angliæ, cum Comitis honore Surriæ primum præfecit, cujus insignia erant \* scutum aureum cæruleo interstitum. In Charta enim illius qua fundavit *Prioratum de Lexis* sic legitur, *Donavi &c. pro salute Domini mei VVillemi Regis, qui me in Angliam adduxit, & pro salute Domine mee Matildis Regine matris uxoris mee, & pro salute Domini mei VVillemi Regis filii sui, post cujus adventum in Anglicam terram, hanc Chartam feci, & qui me Comitem Surregiæ fecit, &c.* Huic filius, & ex filio nepos eodem nomine successerunt: verum ultimus iste solam filiam suscepit, quæ primo Guilielmum Stephani Regis filium, & postea Hamelinum Galfredi *Plantageneti* Comitis Andegavensis nothum, maritos eodem titulo adornavit. Priore autem marito sine prole defuncto, Hamelinus Guilielmum Surriæ Comitem ex ea genuit, cujus posteris, ascito *VWarrennorum* nomine eundem titulum gesserunt. Guilielmus hic duxit primogenitam & cohæredem Guilielmi

Marescalli Comitis Penbrochiæ viduam Hugonis *Bigod*, quæ illi peperit Ioannem, Ioannes vero ex Alicia filia Hugonis \* *Le Brune* uterina sorore Regis Henrici Tertii progenuit Guilielmum, qui obiit ante patrem, & ex Ioanna *Vere* filia Comitis Oxoniæ Ioannem posthumum ultimum ex hac familia Comitem genuit, qui fuit (ut in sigillo ejus vidi) *Comes Warrenna, Surria, Strathernia in Scotia, Dominus de Bromfeld & Yale Comesque Palatii.* Verum cum ille sine legitima prole diem anno *xxi* Edwardi Tertii obiisset, Alicia ejus soror & hæres enupta Edmundo Comiti Arundeliæ, hunc honorem in Arundeliorum stirpem matrimonio intulit, à qua per *Mowbraios* tandem ad *Howardos* devenit. Thomas enim *Mowbraius* in uxorem duxit sororem natu maximam & cohæredem Thomæ *Fitz-Alan*, Comitis Arundeliæ, & *Surriæ*. Ducis tamen *Surriæ* titulum interea Thomæ *Holando* Cantii Comiti præbuit *Richardus II*, quo honore non diu usus erat. Dum enim *Richardum* illum captivum in libertatem, regnumque restituere occultis conspirationibus machinaretur, è latebris præter opinionem erupit conjuratio, & ille fugiens à populo *Cirencestriæ* interceptus, & securi percussus. Thomas de *Beaufort* deinde, qui regis Cancellarius (si Thomæ *Walsinghamo* credamus) hanc dignitatem gessit. Anno enim, ut habet ille, *1410*, *Dominus Tho. Beaufort Comes Surrey concessit in fata.* In hoc fidem suam liberet *Walsinghamus*, nihil tale in Archivis Regis habetur, sed quod Thomas *Beaufort*, circa ea tempora factus fuerit Cancellarius. Certum autem ex publicis regni actis quod Rex *Henricus Sextus* anno regni sui *xxix* Ioannem *Mowbray* filium Iohannis Ducis *Norfolciæ*, Comitem *Warrennae & Surriæ* creaverit. Demumque Rex *Richardus Tertius*, cum regnum scelere occupasset, ut *Howardorum* familiam à *Mowbraiis* profectam sibi beneficiis adstringeret, uno eodemque die Ioannem Baronem *Howard* *Norfolciæ* Ducem, & Thomam ejus filium *Surriæ* Comitem creavit, in quorum posteris hæc dignitas eluxit, & hodie elucet.

\* Comes Marchiæ in Gallia.

Parochiales ecclesias 140 habet hic Comitatus.



CIVICA BIBLIOTHECA  
DIAN LUMI LERCAPI

SUS-